

Exempla.

neatur. Sic vidua Sareptana agnoscit causam obitus filii sui, nempe peccata sua, sicut 1. Reg. 17. ver. 18. dicit: *Quid mihi, &c. ingressus es ad recordandum iniquitatem meam.* Sic quia David DEUM adulterio & homicidio suo graviter offendit, quod Nathan ei severe exprobraverat, 2. Reg. 12. 9. *Uriam percussisti, &c.* ideo DEUS infantem illius percussit.

Ut in dilu-
vio.

Sic infantes etiam adhuc in cunis & in utero jacentes, unà cum adultis in diluvio,

In deserto.

& in incendio Sodomæ perierunt. Propter murmur Israëlitarum, eorum liberi per quadraginta annos in deserto vagari cogebantur.

Bethlehe-
mit.

Bethlehemitici infantes necantur, quòd parentes eorum non præbuerunt Christo nato condignum hospitium.

Parētes ip-
si sint pii.

U s u s. Si igitur parentes volunt avertere liberis morbos & pœnas, vel illatis morbis eorum mederi, tunc emendent prius se ipsos, temperent sibi à peccatis, ne & sibi dolorem & liberis ægritudinem mortemq; immaturam accersant.

II. Quid parentes faciant in morbo liberorum.

1. David
dolet.

vers. 16. *Deprecatus est David Dominum*)
1. David hinc propter morbum infantis gravi dolore afficitur, ideoq; in mœrore & squalore versatur. Liberi enim, ut dicitur, à corde manant, & ad cor redeunt, id est, parentibus